



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

§. 2. Quid & quotuplex sit concretum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

Hæc autem applicatio vel est identitas formæ cum subjecto, ut fit in denominationibus metaphysicis; vel est Unio intrinseca, ut in physicis contingit; vel est connexio quædam formæ cum subjecto, aut respectus illius, & tendentia ad subjectum, qualis est plerumque in moralibus, & denominationibus extrinsecis.

II. Quando datur in rerum natura nova denominatio, quæ antea non fuit, etiam aliqua datur mutatio, quæ fit vel per productionem, vel per rei cujusdam destructionem; quia forma tunc denominare incipit, quando incipit esse; sed non potest incipere esse, nisi per mutationem; ergo. Hinc nata sunt hæc axiomata: *Idem manens idem, semper facit idem. Nihil potest transire à contradictorio ad contradictorium sine mutatione.*

§. II.

Quid & quotuplex sit concretum?

364. Dico 1. Terminus concretus est, qui significat subjectum & formam. Subjectum dicitur id, quod accipit denominationem, vocaturque significatum materiale. Forma, sive significatum formale concreti est id, quod denominationem tribuit. v. g. Doctus est concretum; in quo subjectum est res, quæ dicitur docta: Forma est doctrina, quæ rem doctam denominat.

365. Dico 2. Concretum aliud est *Physicum*, quod formam dicit realiter à subjecto distinctam, ut *album*. Aliud *Metaphysicum*,
cujus

cujus forma metaphysicè tantùm à subjecto distinguitur, ut *homo*. Aliud est *Logicum*, cujus forma specialiter à Logica consideratur, ut *Universale*, *genus* &c. Præterea concretum dividitur in substantiale & accidentale. *Substantiale* est, cujus forma est substantia; sive nomine substantivo exprimatur, ut *Homo*, *Lapis*; sive adjectivo, ut *Animatum*. *Accidentale* est, cujus forma est accidens, sive substantivum sit, sive adjectivum, ut *Dulce*, *Fustum*, *Pictor* &c. Accidentale rursus est vel physicè, vel logicè accidentale. *Physicè accidentale* est, quando forma realiter essentiæ accidit, ut *album*. *Logicè accidentale* est, quando forma logicè, vel nostro concipiendi modo essentiæ accidit, sic *visibile* accidit homini.

366. *Obj.* Quando dico: *Album quòd album est disgregativum visus*, rò album significat solam formam, sive albedinem; ergo non omne concretum significat subjectum & formam. *R. D. Conf.* Non omne concretum sumptum in ratione concreti significat subjectum & formam. *N.* si sumatur pro abstracto, & pro sola forma, ut fit in data prædicatione. *C. Inst. 1.* Si concretum dicat formam, ergo vel physicam, vel logicam, vel metaphysicam; sed nihil horum dici potest; ergo. *R. N. min. & dico*, talem esse formam, quale est concretum: si hoc sit physicum, dicit formam physicam, si metaphysicum, metaphysicam, si morale moralem &c. *Inst. 2.* Sequeretur, quòd etiam terminus denominativus sit terminus concre-

tus.

tus. R. Quid tum? Si ais. Denominativa, & concreta differunt definitionibus; ergo denominativa nequeunt esse concreta. R. D. ant. Differunt definitionibus objectivis. N. formalibus. C. Etiam *substantia & vivens* in homine differunt definitionibus, & tamen realiter, ac objectivè sunt idem.

§. III.

Quid concreta in Recto importent, quid in Obliquo?

367. *Nota 1.* Terminus ille importatur in *Recto*, qui exprimitur in nominativo casu, vel *formaliter*, ut si dicam: *Petrus est homo*; vel *æquivalenter*, ut in hâc propositione: *Materia cum forma debite applicatâ constituit compositum*; in qua propositione etiam *τὸ cum forma &c.* *Rectus* dici potest, quia æquivalet *Recto*, & æquè sic dici potuisset: *Materia, & forma &c. constituunt compositum.* Terminus autem importatur in *Obliquo*, qui exprimitur in aliquo alio casu, ut *τὸ Sempronii* in hâc propositione: *Filius Sempronii mortuus est.* Hic advertendum, quòd à parte rei nec *Rectus*, nec *Obliquus* datur *formaliter*; cum formaliter proveniant à nostris conceptibus, dum rem quampiam concipimus ut *aliquid per se stans*, & ideò per nominativum exprimimus: Aliam verò concipimus ut *aliquid adjacens*, seu *adveniens*, & hinc eam per obliquum indicamus. Datur tamen & *Rectus*, & *Obliquus* à parte rei *fundamentaliter*, h. e. datur à parte rei in ipsis rebus funda-

da-